



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vti amans anima corpus suum onerosum, tenebrosum inimicumq[ue]
quæratu[r] fore impedimento, quominus dilecto perfectè frui liceat Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

SOLILOQVIVM ANIMÆ FI-
delis præsentis vitæ exilium, miserias,
calamitates, propria sua pericula, peccata, ingrati-
tudinemque gementis, & ad cœlestia anxie vehe-
menterque suspirantis.

*Vt amans anima corpus suum onerosum, tenebrosum, inimicumque
queratur fore impedimento, quo minus dilecto perfecte
frui liceat.*

CAPVT I.



Corpus meum miserum, corpus mortis, quod corrumpitur & ag- Sapient. 9.
grauat animam, quamdiu te patiar, quamdiu tecum ero, quamdiu
concupiscentias tuas malas & mihi contrarias, sustinebo? Quamdiu
in carcere tuo reclusa gemam, & circumdata vmbriis mortis, non po-
tero faciem meam ad veri Solis radium subleuare, vt dicā Soli meo, Ioan. 1.
qui illuminat omnem hominem venientem ad ipsum: Illumina sol clarissime & Psal. 118.
charissime oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem? Et hæc nunc quidem
gemans & lachrymans dico, compuncta in cubili meo, sed non responderetur, nec fa-
tis sic affectui meo, quia tu corpus corruptibile tanquam paries medius interpo-
neris inter me & lucidissimum, pulcherrimum sponsum meum, & tuis tenebris
illius claritatem à me, & me ab illius optabili claritate disiungis. O verè odiosum
& tenebrosum corpus, o verè inimice & tediose paries, qui tam densis tenebris o-
periris, vt maximè, fortissimè, & dulcissimè lucis radius tuas non possit tenebras
penetrare. Ni fallor tu es ille paries inimicus & tenebrosus, què Sponsa in Canti-
co canticorum nominat, cùm de Sponsa sic loquitur: *En ipse stat post parietem nostrum,* Cant. 2.
prospiciens per fenestras. O paries corporis mei, quàm spissus & quàm firmus es? Spis-
situdine enim tua à me optabile lumen abscindis, firmitate tua duras, vt non cito
possis corruere. Vtinam minus spissus esses, vt delectabile lumen sponsi, meis ocu-
lis per te possit infundi, quod nunc tua tam immensa spissitudine obscuratur. Vti-
nam & minus firmus esses, vt lumen illius amantissimè faciei sponsi mei tam diu
in tantum desideratum, sed te mediantè dilatatum, te saltè cadente illucesceret
menti meæ, & sineret me oculis irreuerberatis illam speciosissimam faciem intue-
ri? & clamarem ad Dominum: Ne auertas sponse dulcissime faciem tuam à me, & Psal. 114.
ne declines de cætero ab ancilla tua, ne sicut similis descenditibus in lacum. Hei
mihi quamdiu differar ab illa facie propter firmitatem tuam. O paries tenebrosè?
Quamdiu illius dulcissimi luminis, immensitatem quasi quasdam scintillas in-
tuebor, sponse serenissimo ad me aspiciente per te quasi per quasdam fenestras?
Nam propter interpositionem tuam, suæ dulcissimæ bonitatis agnitionem mihi
rarissimè & breuissimè manifestat. Quid molestius accidere posset? Amicissimus
& desideratissimus ille rarè venit, & cito recedit.